



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid est indiuiduum Metaphysicum, seu primo intentionaliter
consideratum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

38. *Ad primam confirmationem respondeo* negando consequentiam, quia non debent esse sicut numeri quoad omnem comparationem; (neque enim similitudo omnis debet currere quatuor pedibus ut aiunt) sed quoad hoc, quod quemadmodum essentia numerorum variatur per ablationem aut additionem cuiuscumque unitatis aut alterius numeri, ita essentia rerum variantur per additionem aut ablationem cuiuscumque prædicati essentialis; & quod quemadmodum omnes numeri magis quam numero differetes sunt diuersæ species: ita omnes essentia rerum, & omnes naturæ, plus inter se distinctæ quam numero, sunt dissimiles ac diuersæ species.

Ad secundam confirmationem dicendum quod non negetur processus in infinitum in causis essentialiter ordinatis, quia debent esse diuersæ species, & consequenter diuersæ perfectionis: sed quia deberent omnes actu existere, quando causant effectum, & quia hoc esset absurdum; vel quia ex aliis principiis colligitur quod causa superior debet esse perfectior inferiori, & consequenter si daretur processus in infinitum in illis, deberet dari aliqua creatura infinitæ perfectionis; nam de præto Deo, adhuc illæ causæ essent infinitæ; & propterea daretur aliqua ex illis infinitæ perfectionis, si haberent talem ordinem, de quo tamen discursu alias agendum erit. Quod si nulla alia ratio esset negandi illum processum, quam quod deberent esse diuersæ perfectionis, omnino sine fundamento sufficienti negaretur.

Quod
est æque
perfectum
cum alio
non ne-
cessario
debet
posse
aliud il-
lud produ-
cere.

Ad tertiam confirmationem respondeo non sequi, ex eo quod aliquid sit æqualis perfectionis cum alio, quod possit illud causare, sicut non sequitur ex eo, quod homo sit perfectior musca, aut boue, quod possit producere muscam aut bouem: & sicut non sequitur ex eo quod vna materia sit æque perfecta ac alia, aut vnus Angelus æque perfectus ac alius, aut vna gemma æque perfecta ac alia, quod possit aliam producere. Colligeretur autem non posse ab ipso produci à priori ex eo, quod non haberet virtutem ad hoc proportionatam, & à posteriori ex eo quod non haberetur vlla experientia, per quam posset constare quod haberet talem virtutem. Quod si tamen posset producere illam, esset causa æquiuoca ipsius, & eo supposito, negandum esset quod causa æquiuoca sit semper perfectior suo effectu omni; cuius oppositum fundatur in eo, quod hic negamus esse certum, nimirum quod species debeant esse inæqualis perfectionis.

39. *Obiicies quinto* Quæ sunt æqualia possunt inter se commensurari: sed quæ sunt dissimilis naturæ non possunt inter se commensurari: ergo omnia dissimilia sunt inæqualia in perfectione.

Respondetur distinguendo maiorem: quæ sunt æqualia, concedo; quæ non sunt, negatur. Similiter distinguo minorem: quatenus sunt dissimiles, concedo; quatenus conueniunt in tantitate perfectionis, nego minorem & consequentiam. Itaque quemadmodum albedo, ut tria, & nigredo ut tria, licet sint dissimilis naturæ, & forte inæqualis perfectionis, possunt tamen commensurari, in quantum conueniunt in tot gradibus perfectionis ipsius entitatis diuersæ; ita etiam albedo & dulcedo quantumuis haberent entitatem & perfectionem diuersam, possunt tamen conuenire in hoc, quod vna perfectio sit tanta, quanta est altera.

Responderi potest secundo negando minorem; commensurari enim, proprie loquendo, nil aliud est, quam vnū mensurare per applicationem alterius: sed certum est posse quem per applicationem vnus rei diuersæ naturæ ad aliam rem, & considerando quantum accedit, vel recedit à perfectione illius, mensurare perfectionem eius, hoc est scire quod habeat tantam, vel tantam perfectionem, & sic Philosophus dixit in vnoquoque prædicamento esse vnū quid, quod est mensura ac metrum reliquorum, quæ sunt in illo prædicamento: & sine dubio illud vnū est dissimilis naturæ vel omnibus reliquis, vel aliquibus, saltem ex illis.

Quod si intelligatur per commensurationem coextensio quantitatis vnus rei ad alteram sic, ut nec ex-

cedat, nec excedatur à quantitate alterius rei, etiam falsa est minor: quia res dissimiles possunt habere quantitatem perfectionis æqualem, propter rationem conclusionis; & consequenter vna quantitas ex illis potest in hoc etiam sensu commensurari per quantitatem alterius.

Possit hic merito queri quid sit perfectio rei, de qua queritur an vna species debeat habere maiorem vel minorem quam quæcumque alia species distincta. Quæ sane difficultas mihi maior est quam illa ipsa, quæ proponitur in questione & hæcenus, examinata est, & fortassis si illa declararetur, hæc facile solui posset. Respondeo autem breuiter, imprimis eam non esse perfectionem entis ut sic, quæ est bonitas ipsius de qua in Metaphysica, quia in hac omnia entia quantumuis diuersæ rationis conueniunt ita, ut quemadmodum omnes æqualiter participant ratione entis, ut sic, sic etiam æqualiter participant bonitatem eius, & quemadmodum nulla ex speciebus entis est magis ens, quam reliquæ: sic nulla est perfectior reliquis in perfectione, aut bonitate entis. Nec etiam est perfectio quanti talis molis, quia multæ species entis non habent molem quantitativam, hanc enim non habent vllæ substantiæ spirituales, verbi gratia Deus, Angeli, animæ rationales, nec accidentia vlla spiritualia. Est ergo conducentia rei in ordine ad bonum vniuersi, seu illa ratio ob quam aliquid est magis vel minus appetibile quam aliud. Cuius exactiorem notitiam relinquo ad materiam de Trinitate ubi agitur de perfectionibus relationum diuinarum, neque enim hic amplius de ea discurre licet, ubi hæc ipsa addenda erant ad supplendam lacunam quæ ex distributione Typographi in secunda impressione accidisset, nisi hæc proponerem.



DISPUTATIO VI.

De Indiuiduo seu singulari.



VIA Porphyrius in eodem capite, quo egit de specie, egit etiam de indiuiduo, seu singulari, (idem enim per vtrumque nomen in hoc tractatu ab authoribus communiter intelligitur) & quia etiam indiuiduum est correlatiuum, & inferius speciei prædicabilis, sicut species est correlatiuum generis; ideo tam conuenienter ac necessario de ipso post speciem, ac de specie post genus, tractandum videbatur. Quia autem duplex est consideratio indiuidui, vna metaphysica, qua consideratur secundum se, & prædicata sibi conuenientia independentem ab operationibus intellectus, aut ab ordine ad illas operationes, præsertim illas, quibus indiuiduum possit prædicari, aut non prædicari de aliquo: Altera consideratio est logica, qua consideratur cum ordine ad illas operationes: Prius agemus de indiuiduo secundum priorem considerationem, & postea secundum posteriorem.

QVÆSTIO I.

Quid est Indiuiduum metaphysicum, seu primò intentionaliter consideratum.

2. **P**orphyrius duas dedit indiuidui definitiones. Prima est quod sit illud, quod de vno solo prædicari potest, quæ descriptio cum sit indiuidui secundo intentionaliter accepti ad questionem vltimam. num. 93. referenda est. Secunda descriptio est quod indiuiduum sit illud quod ex proprietatibus consistit, quarum collectio nunquam in alio eadem erit. Has autem proprietates Boetius comprehendit hoc versu: *Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus*. Itaque iuxta hoc, indiuiduum, seu singulare determinatum ac distinctum numero à quacumque alia re, erit quicquid habet determinatam aliquam formam, ut verbi gratia talem proportionatam dispositionem colorum, talem determina-

Dux Indi-
uidui
descri-
ptiones.

Quo scilicet
est vera
descriptio
Individui.

tam extensionem suarum partium, talem locum, in quo sit vel fuerit; talem stirpem seu familiam ex qua descendit; tale nomen, verbi gratia Petrum, aut Paulum; talem locum natiuitatis; & tale tempus in quo fuerit. Ideo autem hæc descriptio videtur bona, quia quicquid non habet aliquam ex his proprietatibus, necessarium debet esse distinctum realiter ab omni illo, quod habet omnes illas; & quia nihil realiter distinctum à re habente illas proprietates, habet illas omnes simul: hinc enim sequi videtur quod quicquid habet omnes illas proprietates, sit individuum determinatum distinctum ab omni alia re.

3. Dices: Petrus, qui hodie habet hanc formam, mane potest habere aliam formam: ergo esset individuum distinctum à se, quandoquidem non habeat mane collectionem illorum accidentium, quæ habuit heri.

Confirmatur, quia possum colligere Paulum esse distinctum à Petro iuxta hanc descriptionem ex eo, quod non haberet eandem formam cum ipso: ergo si Petrus hodie non habet eandem formam, quam habuit heri, debet dici quod sit hodie distinctum individuum à seipso heri, ita ut non sit hodie idem individuum, quod erat heri, sed aliud realiter distinctum, quo nihil est absurdius.

Respondeo sensum huius definitionis seu descriptionis esse, quod omnis res, cui tota hæc collectio competit, pro vno tempore sit individua & singularis, ac distincta realiter ab omni re, cui pro eodem tempore tota illa collectio non conuenit; ita, ut eo ipso, quo aliquis cognoscit Petrum non habuisse nomen, aut stirpem, aut locum, aut formam, aut figuram, aut patriam Pauli, pro eodem tempore, pro quo illa habuit Paulus, possit colligere quod Petrus sit individuum distinctum à Paulo sic, ut quamuis Paulus haberet eandem formam, figuram, & patriam, stirpem, locum, modo non haberet idem tempus, seu modo non existerent simul eodem tempore, adhuc essent numero distincti; & quamuis essent eodem tempore sic, ut unus nunquam extiterit sine altero, modo tamen haberent diuersa loca aliquando pro eodem tempore, adhuc essent numero distincti, & ita discernendum de cæteris proprietatibus. Itaque non sufficit diuersitas formæ, aut stirpis, aut vllius proprietatis ex his quomodocunque, sed debet esse talis diuersitas, ut pro tempore, pro quo conuenit vna proprietas vni, non conueniat illa alteri.

4. His tamen non obstantibus certum est hanc descriptionem individui non esse bonam adæquate: primo, quia non comprehendit omne omnino individuum, nam non conuenit nisi indiuiduis, quibus prædictæ proprietates competere possunt: sed prædictæ proprietates non competunt omnibus indiuiduis, neque enim conueniunt Deo, nec Angelis, nec accidentibus singularibus, quia hæc non habent stirpem; nec Deus aut Angeli habent formam aut figuram, solæ enim substantiæ materiales habere possunt omnes illas proprietates; imo nec omnes substantiæ materiales habent stirpem proprie loquendo, ut patet de cælis & astris; nec etiam omnes substantiæ sublunares, imo nec omnes homines habent semper nomen aliquod particulare aut proprium.

Vnde sequitur prædictam descriptionem non competere omni indiuiduo; quare eatenus censenda est bona, quatenus verum est quod omnis res, cui competunt omnes illæ proprietates, sit individuum, & distinctum realiter à quacunque alia, cui non cõpetunt realiter omnes illæ proprietates pro eodem tempore; & etiã sit idem individuum realiter cum omni re, cui omnes simul competunt; sed neque in hoc ultimo sensu etiam id est ita necessario verum, quin possit de potentia Dei absoluta oppositum contingere. Vnde.

5. Secundo patet descriptionem non esse usque adeo perfectam, quin de potentia Dei absoluta possent aliqui duo homines habere eandem formam, figuram, locum, stirpem, nomen, patriam, tempus ita, ut per nullam ex his proprietatibus possit discerni alter ab alio; ergo non est verum vniuersaliter, quod duo individua distincta non possent conuenire in collectione prædictarum proprietatum.

Itaque concludo prædictam descriptionem solummodo valere in hoc ultimo sensu quantum ad naturalem modum procedendi, ita scilicet, ut naturaliter non accidat, ut hæc proprietates omnes pro eodem tempore competant diuersis indiuiduis.

Alia ergo descriptio danda est indiuidui, quæ omni prorsus indiuiduæ & singulari rei, siue substantiali, siue accidentali, siue spiritali, siue materiali, siue finita, siue infinita competere possit.

CONCLUSIO

6. Bene describitur individuum, seu singulare metaphysicum, seu primo intentionaliter acceptum esse id, quod ex se non potest inexistere pluribus, in quibus numeretur & diuidatur, & quorum quodlibet sit ipsum. Hæc est communis & Probatur primo, quia per individuum intelligitur illud, quod opponitur vniuersali, seu quod non habet talem modum inexistendi pluribus, qualem habet vniuersale, sed oppositum: at cui conuenit prædicta descriptio, non habet modum illum vniuersalis, sed oppositum: ergo prædicta descriptio est bona descriptio indiuidui.

Probatur secundo, quia per illam descriptionem declaratur natura indiuidui & singularis, quatenus distinguitur ab omni alio, quod non est individuum: nec illa descriptio vlli alteri conuenire potest, quam indiuiduo: ergo est bona descriptio indiuidui.

Confirmatur declarando descriptionem: dicitur id, hoc est quæcumque res, seu quodcumque ens: dicitur, quod ex se & ratione sua intrinseca nequit existere in pluribus, ut excludatur natura communis singularizata, quæ si nequeat inexistere pluribus, hoc non habet ex sua ratione intrinseca & formali, sed per accedens à singularitate, quæ in illa intrinsece non includitur, ut communiter supponitur. Additur, in quibus numeratur & diuiditur, quia si esset in pluribus sine diuisione aut numeratione sui non impediret id singularitatem eius, nec propterea sequeretur quod non esset res singularis & indiuidua: vnde de facto natura diuina, non obstante quod sit in pluribus suppositis diuinis, adhuc est singularissima, quia non est in ipsis cum numeratione aut diuisione. Et eodem modo quamuis eadem numero albedo poneretur in diuersis subiectis simul, adhuc esset indiuidua. Subiungitur denique, quorum quodlibet sit ipsum; quia totum homogeneum singulare, verbi gratia aqua, potest diuidi in plura cum numeratione & multiplicatione ita, ut ex vna aqua, facta discontinuatione, reddantur plures aquæ singulares. Sed tamen id non impedit singularitatem aquæ diuise, quia non habet talem diuisibilitatem in plura, ut ipsamet aqua diuisa sit qualibet ex aquis, in quas diuiditur, neque enim facta diuisione verum est, quod vlla ex aquis discontinuatis sit aqua illa, quæ diuidebatur; sed potius verum est, quod non sit illa aqua, sed quod fuerit pars eius.

7. Obiicies primo, secundum Philosophum 7. Metaphysicæ. 3. Indiuidua nequeunt definiri aut describi, & hinc oritur, quod de indiuiduis non possit haberi scientia, nam si possent definiri, cur non possit de illis haberi scientia æque bene ac de aliis rebus definibilibus ac descriptibilibus, ergo prædicta descriptio non est bona, quia aliàs possent indiuidua describi.

Respondeo Philosophum loqui de indiuiduis, non quatenus conueniunt in cõceptu indiuidui, quia manifestum est illa, ut sic, quemadmodum possunt intelligi, ita posse describi aliquo modo; quidquid enim intelligimus & significamus per vocem, id possumus aliquo modo describere, aliàs non posuissimus explicare aliis significationem vocis, nec discernere illam ab aliis; & sic non intelligeremus nos, dum vteremur illis vocibus, quarum significata non possemus explicare. Itaque tantum voluit nos non posse indiuidua definire sic, ut possumus declarare naturam vllius particularis indiuidui, quatenus distinguitur ab aliis omnibus indiuiduis; & in hoc sensu etiã negatur de indiuiduis haberi posse scientiam, quod certe verissimum est, quia si quis vellet describere Petrum, ut distinguitur ab omnibus aliis indiuiduis possibilibus,

Descriptio
indiv
dui
meta
physici.

Descriptio
indiv
dui
explica
tur.

Quid
indiv
dium
potest
describi.

Quo scilicet
indiv
dium
describi
nequit.

non poterit formare ullam orationem, qua eum ut sic explicet, sicut nec poterit etiam formare in mente sua vllum conceptum de Petro, quo conceptum possit ipsum discernere ab omni alio humano indiuiduo. Poterit quidem ipsum distinguere ab indiuiduis non humanis concipiendo ipsum, & exprimendo, ut hominem; sed à Paulo, etiam simul existente cum alia etiam forma & figura, non poterit ipsum aut concipere aut describere conceptu aut descriptione sufficiente ad colligendum quod sit indiuiduum distinctum à Paulo; nam si Deus poneret eundem Petrum eodem tempore in alio loco cum diuersa forma & figura (ut fortassis potest de potentia absoluta, quemadmodum multi tenent) profecto eodem conceptu & descriptione, ac discursu, quo colligeretur Petrus distinguere à Paulo, colligeretur distinguere à seipso; unde cum male ex illa descriptione concluderetur Petrum distinguere à seipso, male etiam colligeretur ex illa, quod distingueretur à Paulo.

Sed quidquid sit de illo casu, certe Deus posset aliud indiuiduum tam simile quoad omnia Petro pro eodem tempore producere, ut nemo posset discernere vnum ab altero, & consequenter nemo potest describere vnum descriptione sufficiente ad hoc, ut posset ab altero illo discerni.

8. *Obiicies secundò.* Indiuiduum est communicabile pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; diuiditur enim in hoc & illud indiuiduum; quæ faciunt numerum indiuiduorum, de quorum quolibet verum est quod sit indiuiduum diuisum in illa, non minus quàm diuiditur homo in Petrum & Paulum; ergo male dicitur in definitione seu descriptione præmissa, quod sit illud quod non possit sic multiplicari; & consequenter illa definitio non est bona.

Respondeo distinguendo antecedens: indiuiduum formaliter consideratum, hoc est, ut dicitur ineptitudinem illam inexistendi pluribus, est communicabile; quia possunt dari huiusmodi plures ineptitudines similes sibi, saltem proportionaliter, concedo antecedens; indiuiduum materialiter consideratum, hoc est quælibet aut vlla res, quæ dicitur indiuiduum secundum alia prædicata realia est sic communicabilis, nego antecedens: & distinguo similiter consequens: male dicitur quod indiuiduum, secundum quod indiuiduum formaliter, sub conceptu scilicet ineptitudinis illius, sit sic communicabile, concedo, sed nego id dici in prædicta descriptione; male dicitur quod indiuiduum materialiter acceptum, id est, illa res, quæ dicitur indiuiduum, ut Petrus v.g. aut Paulus, aut hæc albedo, sit sic incommunicabilis, nego consequentiam.

Itaque quando dicimus quod indiuiduum sit incommunicabile, sensus non est quod indiuiduum sit incommunicabile secundum hanc vel illam rationem; sed quod quælibet res, quæ dicitur indiuiduum, sit simpliciter incommunicabilis, ita ut nulla talis res, quæ dicitur indiuiduum, possit dici simpliciter communicabile secundum alia sua prædicata præter ipsammet incommunicabilitatem.

QVÆSTIO II.

Verum ab omnibus Indiuiduis possit abstrahi aliqua ratio communis.

Resolutio huius quæstionis, præterquam quod in se sit utilis, multum lucis afferet resolutioni quæstionis præcedentis: non est autem quæstio, an ab omnibus indiuiduis aliqua ratio communis quomodocumque possit abstrahi: nam certum est quod ab omnibus indiuiduis animalis possit abstrahi ratio communis animalis, & ab omnibus indiuiduis hominis ratio communis hominis, & ab omnibus indiuiduis possibilibus quarumcunque specierum ratio communis entis, præsertim in sententia nostra asserentium quod omnes res cōueniant vniuocè in conceptu entis. Sed sensus quæstionis verus est, an ab omnibus indiuiduis abstrahi possit aliqua ratio communis; quæ ratio communis sit indiuiduum, & ratione cuius omnia, quæ sunt indiuidua, habent esse talia.

Prima sententia est indiuidua conuenire eodem modo in conceptu aliquo, quo omnes homines conueniunt in conceptu communi hominis. Ita *Huradus* sect. 7. de

specie, Auerſa q. 9. sect. 11. qui tamē dicit illum conceptum communem singularis ut sic, in quo conueniunt singularia omnia, non esse conceptum perfecte præcise à rationibus particularibus, quibus contrahitur, quod etiam tenet de conceptu communi hominis & similibus omnibus conceptibus communibus.

Secunda sententia est singularia non conuenire in aliquo vno conceptu communi, qui sit singularis, ut sic, sicut conueniunt omnes homines in conceptu communi. Ita *Scotus* 2. dist. 3. q. 6. cum suis communiter, quos sequuntur *Suares* disp. 5. *Aet.* sect. 2. *Fonseca* 5. *Met.* c. 6. q. 5. & alij plures.

Circa hanc autem sententiam aduertendum quod aliqui Scotistæ vtantur distinctione quadam; dicunt enim in indiuiduis metaphysicis, de quibus hic agimus, duo posse considerari, & naturam ipsam ut afficitur hæcitate; quæ natura ut sic denominatur indiuidua; & modum incommunicabiliter existendi, qui sequitur ad talem naturam, & est à quo formaliter denominatur indiuiduum. Hoc supposito dicunt ab ipsis naturis nihil abstrahi, quod possit de iis prædicari in quid, & sit indiuiduum aut natura indiuidua, bene tamen ab iis posse abstrahi aliquam rationem, in qua conueniant, & quæ de ipsis prædicari possit in quale, seu denominatiue. Deinde ulterius addit quidam Scotista, posse ab ipsis hæcitatibus, quas formaliter dicunt indiuidua, abstrahi rationem communem, in qua conueniant.

CONCLUSIO I.

10. *Non potest abstrahi aliqua ratio communis à singularibus, quæ sit singularis & prædicabile de omnibus singularibus realiter consideratis, hoc est de Petro & Paulo, & hac albedine & hac quantitate.* Hæc est iuxta secundam sententiam, & probatur manifeste primò, quia eo ipso quo illa ratio abstracta esset communis omnibus illis, non esset singularis, sed vniuersale non minus, quam natura humana est vniuersalis ex eo, quod sit ratio sic abstracta & communis: ergo esset, & non esset singularis, quod implicat.

Confirmatur, quia ideo natura humana abstracta & communis omnibus hominibus est vniuersale metaphysicum, & non singularis; quia est sic communis: ergo si ista ratio abstracta ab omnibus singularibus sit communis, non erit singularis, sed vniuersale.

Confirmatur secundò, quia ideo Petrus v.g. est singularis & non vniuersale, quia non est communis pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; ergo si illud abstractum à singularibus sit commune pluribus indiuiduis, quorum quodlibet sit ipsum, sequitur manifeste quod non sit indiuiduum. Nec potest hic responderi, quod dicatur vniuersale, secundum diuersos respectus; nam singularis metaphysicè non debet esse secundum vllam rationem commune, ita ut prædicetur in quid de pluribus, quorum quodlibet sit ipsum; sicut nec vniuersale debet secundum vllam rationem esse tale, quin secundum se semper possit prædicari de pluribus. Deinde non possunt ostendi isti plures respectus, secundum quorum vnum illud commune esset singularis, & secundum alterum singularis.

Probatur secundò, argumento Scoti, quia si à singularibus, quæ talia sunt, posset abstrahi aliqua ratio communis, illa ratio deberet contrahi ad singularia hoc & illud, sicut animalitas in communi contrahitur ad brutum & hominē per rationalitatem & irrationalitatem; & sicut humanitas ipsa contrahitur ad Petrum per Petreitatem, & Paulum per Pauleitatem; sed hoc fieri non potest, quia alias daretur progressus in infinitum, nam quemadmodum Petro & Paulo potest dari ratio communis singularis ut sic, propter similitudinem, quam videntur habere, ita etiam pari ratione à differentiis contrahentibus illud singularis potest dari alius conceptus communis; nam similem habent proportionem; & ille conceptus communis erit contrahibilis per alias differentias, quæ rursus conuenient in alio conceptu communi contrahibili, & ita in infinitum: quo argumento postea vtetur ad ostendendum, quod differentia vltimæ non cōueniant in vllò conceptu communi, sed seipsis totaliter distinguant.

Quo sensu indiuiduum est communicabile & incommunicabile.

Sensus quæstionis.

Non potest abstrahi ratio communis, quæ sit singularis.